

## §. VI.

Præjudicia practica circa Pœnitentiam eo redeunt, quod homines sibi persuadeant,

1. ad pœnitentiam sufficere, si ipsos saltem hujus vel illius facti pœniteat, & hoc opus eo facilius esse, cum omnia peccata dolorem & pœnitentiam post se relinquunt: ita enim nos e.g. videre, omne animal post coitum esse triste. Sed notandum est, ad veram pœnitentiam non sufficere qualemcunque retractationem aut displicentiam peccatorum, dum caro nostra ex illis nullam oblectationem sed tædium percipit, verum insuper cum vera fide in Christum etiam firmum & constans propositum non amplius peccandi, requiri.

2. se tunc pœnitentiam agere, quando tempore consueto coram ministro sacrorum peccata confitentur, & confessionis formulam recitant. Verum, veram pœnitentiam non in mera confessione aut verborum recitatione, sed in vera cordis & mentis mutatione & ad Deum conversione consistere, omnibus iis constat, qui saltem prima rudimenta Christianismi tenent.

3. Homines seipsos posse convertere, ex viribus propria aut naturalibus, & hinc se quoque suo tempore conversionem suscepturos. Hoc ipso autem produnt, suam imbecillitatem & impotentiam naturalem ipsis nondum satis esse perspectam. Præterea confer. Phil. II, 13. Eph. II, 1. sqq.

4. Adhuc tempus esse, hominem semper pœnitentiam agere posse, quando scilicet aut senectutem, aut mortis horam appropinquare videt. (Wann man einmal auf das Zodbett komme) Verum, cum mortis hora & ratio sit incerta, nec irrogenitus introire possit in regnum cœlorum; præterea quoque verendum sit, ut gratiæ, cui semper illudit, in extrema vitæ hora locum sit daturus, secundum illud tritum: *Quomodo in morte recordabitur Dei, qui non reminiscitur sui?* ideo pœnitentia sine periculo damnationis differri nequit. Sir. XVIII, 22.

C

5. Pœni-